



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viridarivm Sanctorum**

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]  
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

**Rader, Matthäus**

**Avgvstae Vindelicoꝝ, 1607**

S. Sophronivs Hierosolymorum Archiepiscopus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43013**

de ea, ob eam causam virilem illi cultum indui, & Anastasium eunuchum appellaui vt extra omnem esset suspicionem. diligentissimè enim ab Imperatore per omnes oras & regiones, maximè verò in his partibus inuestigabatur. Sed ecce per diuinam gratiam apud nos securè latuit. Deinde totum vitæ cursum, & quæ, quantaque fuisset, gessissetque matrona, singulatim enarrauit.

## ANNOTATIONES.

**I**llustrissima fuit hæc matrona Pompei consobriini Imperatoris Iustiniani, vxor, Iulianæ illius prædiuitis cognata, de qua Cyrillus historicus æuo Iustiniani. Metaphrastes 5. Decemb. in vita S. Sabæ. C. Baronius Annal 7. A. C. 527.

**S. SOPHRONIUS**  
**HIEROSOLYMORVM**  
**ARCHIEPISCOPVS.**

II. Martii.  
A. C.  
DCXXXIV.

**H**ic, maximū Ecclesiæ fidus, ex Phænicia thurifera, vrbe Damasco, originē traxit, plorum & frugalium soboles parentum. Patri nomen erat Plinthus, matri Myro. Sophronius per ingenii vim aliàs præstantem, studio tamen & cura auctam,

L 4

mox

mox ad omnium scientiarum culmen ultra fines naturæ quasi euasit. Cum ad huc Damasci degeret, virtutem tamen eorū qui in solitudine versabantur, æmulabatur. Deinde ad M. Theodosii cœnobium se contulit, vbi in quiete & silentio cum Deo familiariter agebat, & pectus diuinarum literarum meditatione, mentemque constabiliabat, cogitationesque omnes & sensus in obsequium Christi redigebat. Præterea cum maiori adhuc studio discendæ philosophiæ arderet, Alexandriam urbem nobilissimam nauigat, ibique Ioannem quendam sapientiæ & prudentiæ laude florentissimū clarissimūque virum conuenit, cuius & contubernalis, & conuictor, sociusque factus, cum quo concordī plane animo vixit, à quo & ipse sapientiam hauriebat, & vicissim quæ norat magistro suo impertiebatur. Factum inde (ex assidua lectione) vti nescio quæ nox & caligo oculos eius occuparit, sed à SS. Cyro & Ioanne diuinitus curatus est, qui aliud sostrum ab eo non petiuere, quem vti quotidiana per eos patrata miracula literis consignaret, quod præstitit diligenter. Postea Hierosolymorum pontifex ob singularem vitæ sanctimoniam creatus est. Sed ciuitate sancta ab impiis Persis

Persis

Persis capta, Alexandriam se ad Ioannem  
 qui ab eleemosyna nomen inuenit, & thro-  
 num Apostolicū administravit, profectus  
 est. In cuius beatâ pace sopiti mortem, hic  
 Sophronius de immenso ipsius eleemosy-  
 narum thesauro excellentissimaque virtu-  
 te funebrem laudationem scripsit, ipseque  
 multis lacrymis ipsius obitum est profecu-  
 tus. Postea verò quam in sanctam ciuitatē  
 reuertit, exprimi non potest, quanta cura,  
 laboreque Ecclesiam sibi à Deo commen-  
 datam rexit. *Somnum enim oculis non de-  
 dit, nec palpebris dormitationem, neq; enim*  
 contra vim impetumque hostium æterno-  
 norum, sed contra hæreticorum quoque  
 exitialia dogmata illi depugnandum erat,  
 quos scriptis & traditionibus patrum in vi-  
 am reuocabat, suisq; ipse disputationibus  
 exarmabat & frangebatur, aliaque plurima  
 & nobilia ingenii monumenta ad Eccle-  
 siæ utilitatem reliquit, quibus & cum vir-  
 tute viuere, & ex præcepto diuino tracta-  
 re præsentia docemur. Ex quorum nume-  
 ro est liber ille omni admiratione de prædi-  
 candus, quo res gestas Mariæ Ægyptiacæ,  
 cum angelis merito comparandæ, & ultra  
 humanæ vitæ modum progressæ explica-  
 uit. Hæc illius viuendi ratio, qua se pro-

L 5

bavit,

bauit, alios erudiuit, Christo linguam vicariam exhibuit, commissumq̄, sibi gregem rexit, & intra triennium pontificatus beata potitus pace, ad Dominum est translatus.

## ANNO TATIO.

**H**uius acta Theophanes in historia sua complectitur, & Baronius Annali 8. multis locis refert. An est is cui Ioannes Euiratus inscripsit Limonarium seu pratum spirituale, & quem Photius in bibliotheca laudat? Ita C. Baronius affirmat, qui non pauca de hoc in Martyrol.

35. Martii.

S. MENIGNVS  
FV LLO.

*Menelogi-  
um &  
Martyrol.  
Rom. eod.  
die.*

**D**ecii Imperio saeva in Christianos extitit tempestas. Qui Asiam prouinciam procurabat, exitialis erat, & ingenio ferocissimus. Ergo cum oram maritimam obiret, quoscunque ibi ex Christi disciplina reperit, caesos flagris, robore inclusos, opaco carceri mancipauit. Nocte appetente omnes in vinculis simul in has voces eruperunt: Domine rex caelestis, qui principem Apostolorum tuorum Petrum, olim per angelum a vinculis & custodia per quietem sine tumultu liberaisti, nobis quoque  
auxilium